VIRI generoſiſsimi, atq; *fælicis Memoriæ Armigeri*, RICHARDI BARNABII *Eirenarchæ, totius patriæ publico cum luctu nuper defuncti, vita atq; obitus.*

Conſpicis hanc Lapidum molem quicunque Viator,
Hic ſiſte; hæc oculos paſcat Imago tuos.
Hic tibi *Barnabij* monimenta videnda ſepulti;
Quem, cum Mors vetuit, vivere Saxa velint.
Si te Virtutum nutrix Academia tangit;
Pierias illo fonte bibebat aquas:
Curia ſive movet, multos robuſtior annos
Egit Principibus, nec ſine laude, viris.
Juſtitiæ ritum ſi ſit cognoſcere Virtus,
Eirenarcha pius Juris Amator erat.
Ergo etiam funus luctu non ſimplice flendum eſt;
Multiplicis meruit funeris ille honoras.
E terris ſolus non exijt ille; Verendum,
Ne moriens ſecum funera plura trahat;
Nempe illorum animis quid fiet quæſo, miſellis,
Quos elargito pauerat ille cibo?
Vivere iam, ſed adhuc non paſcere deſinit; Hic nam
Jam paſcit vermes; pauerat ante viros.
Jlli Neſtorei mores, animiq; fuerunt;
Hac quoq; præ reliquis parte beatus erat:
Moribus adiunctos habuiſſet Neſtoris annos,
Manſiſſet patriæ quanta columna ſuæ?
Nocte obijt mortem; quæro, num mors fera talem
Auderet media luce tuliſſe virum?
Quos habuit natos teſtentur tempora noſtra,
Inter Honoratos quos coluere viros.
Stirpe parens tali, tali ſtirps digna parente;
Vtq; habet hic laudes, ſic habet illa ſuas.
Pauperis eſt numerare ſuos, quos novit, Amicos
Diligere hic poterat, non numerare ſuos.
Plurima quid referam? cum fecit plurima, Muſa
Pauca quidem neſcit commemorare mea.
Cum ſic *Barnabius* vixit, patriæq;, Deoq;
Qui Tantus potuit vivere, Talis obit.

Pietatis ergo, poſuit hæc ISR[A]EL BRI[illegible]
Novi Collegij, in Oxon: Socius.